

sicitor possessor, non hæres, quia Prætor eum hæredem facere non potest, qui jure civili non admittitur § *Quos autem*, inst. de *Honor. possess.* Lex certis personis defert hæreditatem; Prætor ex æquitate alias ad hæreditatem admittit personas, non eas tamen hæredes facit. Duaren. loc. cit. plura alia vide apud Averan. ubi supra a numer. 5 ad plur. seq.

(30. Hoc adeo verum est, ut licet alicui acquiratur hæreditas, si tamen ei delata non sit, hæreditatem adire non potest. Hinc licet domino et patri acquiratur hæreditas delata servo, vel filiofamilias, nequit tamen pater, vel dominus hujusmodi hæreditatem adire, sed ut adeant compellere debet servum, vel filiumfamilias; Duaren. oper. t. 2, p. 240 ff. et seq. in tit. de *acquir. vel omit. hæredit.* Averan. *interpret. jur.* lib. 1, cap. 12, num. 32 et plur. seq. Similiter donanti, qui omnia præsentia, et futura bona, et hæreditates donavit, delata hæreditas non sibi, sed donatario acquiratur, sed si donans non adeat, donatarius nullum jus, nullamque actionem habet in hæreditate Donati delata. Gratian. *discept. forens.* cap. 271, num. 23. Card. de Luc. de *Credito disc.* 137, num. 3. Rot. in rec. part. 19, decis. 611, num. 10, in *Æsina Hæreditatis*, 26 Aprilis 1747, § 16, cor. Canniliac, et alibi passim, hoc tamen discrimine, quod servus, et filiusfamilias ad adeundam hæreditatem possunt compelli ex juribus allegatis, non vero donans a Donatario; Rot. post Torre, de *Pactis futurae successionis*, decis. 177, num. 18. Romanæ hæreditatis 7 Decembris 1750, § 11, coram Vicecomite. Quod adeo verum est, ut neque a Creditoribus cogi quis possit hæreditatem adire, etiamsi res esset de legitima, in qua filius habet jus quæsitum per jura superius allegata, et leg. 6 ff. *Quod in fraud. credit.* Rot. in Romana Legitima 11 Martii 1743, § 7 et 8, cor. Canniliac. et ratio est, quia debitor in fraudem creditorum proprium nequit patrimonium distrahere; sed illud non tenetur augere servus, et filiusfamilias jussu domini, vel patris adeuntis patrem, et dominum obligant. Quid vero si pater diu possederit, quin prius filiusfamilias adiverit? Cum solemnitates a jure præscriptæ non fuerint servatæ, videtur primo aspectu minime teneri favore creditorum hæreditario- rum: contrarium tamen tenendum putat Duaren. loc. cit. pag. 243, coll. 2, § *Unus casus*. et seq. ubi alios etiam enumerat casus, in quibus hac etiam ommissa solemnitate iidem habentur effectus, ut si filius longo tempore possederit hæreditatem, vel eam adiverit pater consentiente filio; si filius hæres sit necessarius; si pater furiosus nequeat filio jubere, ut adeat; si agatur de hæreditate adventitia, quæ hodie etiam invito patre acquiratur filio; idem dicendum in castrensi hæreditate filiofamilias militis, quas præcedentis regulæ exceptiones fusi pertractatas videbis apud eundem auctorem, loc. cit. usque ad pag. 246, coll. 2, ubi quæstionem proponit etiam, an filio sine jussu patris ad eundem acquiratur hæreditas, et concludit

non acquiri cum juris solemnitas non sit servata.

(31. Hactenus de modo acquirendæ hæreditatis, nunc pauca de personis, quæ eam acquirere valent. In hoc regula generalis est, ut quilibet acquirere possit hæreditatem, qui liberum habet propriæ voluntatis exercitium, cujus præsidio valet additionis actum peragere. Quapropter jure acquiratur hæreditas a muto, et surdo, qui vel scriptura, vel nutu, vel signis, quæ familiaribus, et propinquis eorum sint nota, voluntatem patefacere, et ostendere possunt; lib. 5 et 93 ff. de *Acquir. vel omit. hæredit.* Olim furioso non acquiratur hæreditas, cum in furioso deficiat liberum voluntatis exercitium per leg. 62, § ult. eod. tit. leg. 41 ff. de *Reg. jur.* Sed Justinianus antiquas leges declarando statuit, furiosum per procuratorem acquirere posse; leg. ultim. Cod. de *Curat. furios.* Prodigus et contra cui bonis interdictum est jure acquirat hæreditatem per leg. 5 ff. de *Acquir. vel omit. hæredit.* Pupillus absque tutoris auctoritate hæreditatem nequit adire; l. 8, eod. tit. l. 17, § *Tutor.* ff. de *Appellat.* De pupillo plures hac de re instituit, et mirifice expedit quæstiones Duaren. citat. to. 2, pag. 248, coll. 2, usque ad p. 250. Hic quæri potest an procurator nostro nomine hæreditatem adire possit. Affirmat contra communem opinionem Duaren. loc. cit. et *disput.* lib. 2, sed reprehenditur ab Averan. *interpret. jur.* lib. 1, cap. 12, nu. 43. Cum enim aditio hæreditatis sit actus legitimus, non nisi ex necessitate per interpositam personam expediri potest. Voet. in *Pandect.* lib. 29, tit. 2, num. 9, quod intelligendum est de procuratore habente generale mandatum procuræ. Cum enim aditio consistat in animi et voluntatis declaratione, generale non sufficit, sed speciale mandatum procuræ, ut liquido constet de voluntate mandantis, requiritur.

(32. Cum aditio hæreditatis in solo animo, et voluntate consistat, dubitari posset an quis procuratori mandans, ut hæreditatem adiret, antequam mandatum exsequeretur procurator, mandans in furorem incidat. Satis ab initio profectus videtur voluntatis actus, et valide per consequens a Procuratore adita hæreditas, nihilominus per superventum in hærede furorem ipsius deficere voluntatem, nullamque esse Procuratoris additionem declarat text. in leg. 48 ff. de *Acquir. vel omit. hæred.* Duaren. oper. tom. 2, pag. 243, coll. 1. Averan. *interpret. jur.* lib. 1, cap. 12, num. 20.

Regula superius tradita, quod hæreditas non adita non transmittitur ad hæredes, non semper indistincte procedit. Primo, locum non habet in hærede, qui a muliere prægnante impeditus, quominus adiret interea ante aditam hæreditatem decessit; leg. 38 ff. de *Acquiren. vel omit. hæred.* quod tamen declaratione indiget, quam fuse tradit Duaren. loc. cit. pag. 253, coll. 2 et 554. Secundus casus est de filio præterito, qui testamentum nullum esse contendit. Interea

dum pendet lis super validitate, vel nullitate testamenti, hæres scriptus hæreditatem nequit adire; quo tamen non obstante, si dum definitur controversia scriptus hæres moriatur, etiam non aditam hæreditatem ad suos hæredes transmittit; l. 12 ff. de *Edict. Carbon.* Jac. Curtius *conjectural.* lib. 4, cap. 1, apud Everard. Otton. *Thesaur. jur.* to. 5, coll. 237. Duaren. loc. cit. pag. 253, coll. 1. Bruneman. in *Pandect.* lib. 37, tit. 10, in l. 12, per tot.

(33. Tertium casum habemus in l. 2, § 30. ff. de *S. C. Silanian.* ubi sancitum est, ut hæreditas illius, qui occisus est, non adeatur, aut testamentum aperiatur, nisi quæstione de familia habita, reo detecto, et sumpto de nocentibus supplicio. Si interea, dum hæc omnia peraguntur, hæres scriptus decessat, hæreditatem nihilominus non aditam ad hæredes transmittit, quia impeditus fuit quominus adiret; Duaren. l. c. p. 256, coll. 1, § *Tertius*; Voet. in *Pand.* l. 29, tit. 5, n. 3. Quartus casus est, ubi quis absens hæres institutus, et institutionem ignorans antequam adiret decessit, sed tamen ipsius procurator antequam hæres obiret bonorum possessionem petierat, quo casu ex æquitate conceditur hæredibus defuncti hæredis restitutio in integrum, et ita indirecte in ipso defuncti hæreditas ab eo non adita transmittitur; leg. 85 ff. de *Acquir. hæredit.* Duaren. loc. cit. pag. ead., § *Quartus*. Quintus casus est in infante, qui patrem habet, si hæreditas ipsi delata ejusdem nomine adita non fuerit, nihilominus ad patrem transmittitur, licet hoc modo adita haberetur ac si adita non fuisset; l. *Si infanti* Cod. de *Jur. deliber.* Corvin. in Cod. lib. 6, tit. 30, p. 417, § *Personæ hæredem*; Duaren. loc. citat. pag. 257, § *Quintus casus* et sequent., ubi mirifice hanc legem explicat. Sextus casus ex hac eadem lege profluit in qua Theodosius statuit, ut liberi a parentibus instituti non modo ad suos hæredes, sed ad quoscumque descendentes ex se hæreditatem non aditam transmittant, quæ constitutio multum addidit juri antiquo. Duaren. et Corvin. l. cit. licet contrarium sentiant. Cujac. ad African. 4, ad leg. 16 ff. de *Liber. et posthum.* Septimus denique casus, in quo hæreditas non adita ad hæredes transmittitur, oritur ex Justiniani constitutione in l. 19 Cod. de *Jur. deliberandi*, in qua decernit, quod si quis dum deliberat, antequam adeat hæreditatem, moriatur, hanc tamen hæreditatem ad hæredes quoscumque transmittat una cum jure deliberandi pro tempore tamen, quod defuncto ad deliberandum supererat. Corvin. loc. cit. pag. 414, coll. 2, § *Hærede*. Duaren. loc. cit. pag. 259, coll. 1 et seq. § *Septimus casus*. Zoes in Cod. lib. 6, tit. 30, § *Lapso prædicto*.

(34. Cedi non solum, et renunciari, sed etiam vendi hæreditas potest, cum hæreditas inter res incorporales venditionem recipientes præcipue numeretur, quod intelligendum est de hæreditate defuncti, non viventis, sive directa, sive fideicommissaria sit, l. 1 et l. 16 ff. de *Hæreditate, vel act.*

vendit. Hoc casu emptor quamvis hæres non fiat, dum qui semel fuit hæres nunquam talis esse desinat, nihilominus hæredis vices gerit, in eumque omne lucrum et damnum transit, nec amplius hæres sed emptor tenetur inventarium conficere; l. 2 et l. 14 ff. de *Hæredit. vel act. vendit.* Venditor tenetur emptori præstare omne id, quod ex hæreditate consequitur, actiones tum principales, tum accessorias, omniaque corporalia et incorporalia, sive in hæreditate reperta, sive cum hæreditati deberentur ab hærede exacta sunt per cit. ll. et l. 4 Cod. de *Hæred. vel act. vend.* Præstat insuper omne damnum emergens, et lucrum cessans dolo, aut lata, vel levi culpa venditoris emptori allatum. Voet in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, n. 2.

(35. Venditor insuper favore emptoris tenetur de evictione, et de facto proprio. Evictionem tamen præstare debet non habito respectu ad singulas res, sed ad universam successionem. Non enim vendidit singulas res hæreditarias, sed universum jus quod defunctus habebat, nec hæreditas dicuntur res singulæ, quæ in patrimonio defuncti reperiuntur, sed universum ipsius jus, adeo ut licet nulla corpora in patrimonio defuncti reperiuntur, nihilominus deficere non dicitur hæreditas quæ in juribus etiam consistit. Hinc, si nulla bona existant, hæres succedit in juribus, in defuncti locum subingreditur, ipsius personam representat, et hæreditariis creditoribus tenetur, si vero extant bona, in his quoque succedit; Duaren. oper. tom. 3, pag. 534, coll. 1 et 2, in *Pandect.* tit. 4, lib. 18, cap. 2, in princ. Cogitur autem satisfacere de facto proprio, se nempe emptori restitutorum quidquid ad se pervenerit propter hæreditatem sibi delatam. Duaren. loc. cit. cap. 3, circa fin., pag. 535, coll. 1.

(36. Hujus rei occasione maxima excitatur inter Doctores quæstio, an per venditionem hæreditatis cum transeant in emptorem omnia jura hæredis, censeatur etiam translatum jus accrescendi, quod competeret emptori. Quæstionem subdividit Vinn. *Select. q.*, lib. 1, cap. 55, ubi materiam accurate expendens quærit primo an ipso jure, et recta deficientium portiones accrescant emptori, deinde an venditor, quod sibi accrevit emptori præstare teneatur actione ex empto, et utroque casu negativam amplectitur opinionem. E contra Duarenus oper. to. 4, pag. 116, de *Jur. accres.* lib. 2, cap. 6, putat, emptori potius, quam venditori accrescere hæreditatis portionem, et hanc eandem sententiam sequitur, multisque contra Vinn. loc. cit. confirmat argumentis; Voet. in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, num. 3. A priori tamen Vinnii sententia non recederem.

(37. Potissimum enim contrariæ opinionis fundamentum positum est in leg. *Si Titio* 33 ff. de *Usufruct. et quemadmod. quis utat. fruatur.* in fin. l. 2, § 4, ff. de *Hæredit. vel act. vend.* quæ tamen casus longe diversos comprehendunt. In l. *Si Titio* res erat de duobus in usufructu institutis, et indicat discrimen inter institutos in usufructu, et insti-

tutos in proprietate. Hilliger. in Donell. lib. 10, c. 23, lit. C. Bruneman. in Pand. lib. 7, tit. 1, in l. 33, n. 2 et 3. Major difficultas est in § 4. l. 2, supr. citatæ, ubi dicitur *non solum quod jam pervenit, sed et quod quandoque pervenerit restituendum esse*, quod tamen intelligendum est de iis rebus, ad quas jam actu jus erat hæredi quæsitum. Cæterum in dubium revocari nequit, quin venditor hæreditatis, licet hæreditaria bona non possideat, adhuc non sit hæres. Porro jus accrescendi non aliis legitur concessum præterquam cohæredibus, non ratione rerum hæreditariarum, sed ratione qualitatis hæreditariæ. Hinc venditor hæreditatis per hoc nequit evitare actionem, quam contra ipsum excitare valent Creditores hæreditarii; lib. 2 Cod. de *Hæred. vel act. vendit.* « Ratio juris ostulat, ut Creditoribus, et Legatariis, seu Fideicommissariis te convenire volentibus, tu respondeas, et cum eo, cui hæreditatem vendidisti tu experiaris suo ordine. Nam ut satis tibi detur sero desideras, quoniam eo tempore, quo vendebatur hæreditas, hoc non est comprehensum. Quamvis enim ea lege emerit ut Creditoribus Hæreditariis satisfaciatur, excipere tamen actiones hæreditarias invitus cogi non potest. » Voet. l. c. n. 6.

(38. Sed si hæres hæreditatem vendendo non desinit esse hæres, si jus accrescendi cohæredibus tantum conceditur, inde fit, quod emptor etsi loco hæredis habeatur, non tamen sit hæres, nec perfruatur jure accrescendi solis hæredibus concessio. Plura in hujus opinionis confirmationem afferunt omnino consulendi. Vinn. loc. cit. et Zoes. in Pandect. lib. 30, de *Legat. et fideic.* c. 3, de *Jur. accresc.* a n. 59 usque ad num. 63, qui mirissime contrariam refellunt opinionem, contrariisque rationibus respondent. His omnibus accedit quod venditio hæreditatis inter contractus numeratur. Age vero ubi nam in jure sancitum legitur jus accrescendi in contractibus locum habere? Nullibi sane, nisi expresse de eo cautum fuerit, quo pacto opus non esset, ubi lege induceretur, et tunc conventio veluti lex contractus servanda est, ut ipse testatur Duaren. de *Jur. accresc.* lib. 1, cap. 15, tom. 4. Notandum denique quod in Donationibus inter vivos, cum istæ contractibus æquiparentur nullum datur accrescendi jus, ut firmat ipse Duaren. loc. cit. cap. 16, pag. 108. Perez in Cod. lib. 6, tit. 51, nu. 8. Tulden. ibid. num. 6. Corvin. pariter in Cod. lib. 6, tit. 51, p. 480, coll. 2.

(39. Sicuti vero multa a venditore sunt emptori præstanda, ita æquum est, ut nonnulla ab emptore venditori præstentur. Hinc emptor tenetur venditorem defendere contra Creditores hæreditarios, leg. 28, ff. de *Donat.* Quod si venditor, vel ante, vel post hæreditatis venditionem in hæreditatem sumptus fecerit, hæreditaria solverit debita vel id omne ab emptore per actionem ex stipulatu, vel ex vendito repetere potest. Ex his sequitur, ut recuperet si quid vectigalium, aut tributorum nomine solverit; l. 2, § 16, ff. de

Hæred. vel act. vendit. Si quid in tunus defuncti erogaverit, cum hæc hæreditaria quoque impensa dicatur, d. l. 2, § 17. Quid vero si inter plures cohæredes venditor solus omnia onera hæreditaria solverit, nec cohæredum portiones ab ipsis repetere valeat ob inopiam? Hoc quoque casu ea ab emptore repetere posse, si modo per Judicis sententiam ad solvendum damnatus sit, statuit text. in l. 18 ff. eod. Servitutes insuper, quæ ante aditionem Venditori debebantur, sed per actionum confusionem sublata fuerunt ab emptore rursus præstandæ sunt, d. l. 2, § penult. leg. 9, ff. *Commun. præd. tam urban. quam rustic.*

(40. Hæc de hæreditate vendita a privato, sed non idem dicendum de hæreditate vendita a fisco. Fiscalis enim hæreditatis emptor non modo contra hæreditarios debitores actionem instituere debet, sed ab hæreditariis creditoribus conventus vel conveniendus eorum actiones in universum suscipere tenetur, quin fiscum venditorem iisdem respondere compellere valeat; l. 41 ff. de *Jure fisc.* leg. 1, Cod. de *Hæred. vel act. vendit.* Quolibet vero evictionis periculo tutus est, cum ementes a fisco statim securi sint, et quisquis ad se hæreditatem venditam pertinere contendens fiscum ipsum vendentem convenire cogitur § ult. inst. de *Usucap.* l. 1 et l. 2 Cod. de *Quadrien. præscript.* Voet. in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, num. 8. Plura superessent dicenda de actionum venditione, sed ne diutius in hac quæstione immoremur consulat Lector Voet. loc. cit. a n. 2 ad fin.; Duaren. oper. tom. 3, pag. 535, et plur. seq. in tit. de *Hæred. vel act. vendit.* per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Si plures instituti sint hæredes, secundum jus Romanum solemniter fit distributio hæreditatis in duodecim uncias. Ita enim jurisconsultus l. 50, § 2, ff. de *Hæred. Institut.* « Hæreditas (ait) plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem et hæ partes propria nomina ab uncia, usque ad assem, puta hæc: Sextans, quadrans, triens, quiscunx, semin, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as. »

(42. Quod si minus distribuit Testator, potestate juris in hoc revolvitur: utputa si duos hæredes ex quadrante scripserit, nam hæreditas ejus residua accedit, ut scripti ex semissibus videantur, l. 13, § 2, ff. dict. tit. de *Hæred. instituend.* Pariter si hæredes scripti sint alter ex quadrante, alter ex semisse, quadrans adhuc superest, qui pro partibus hæreditariis ipsi accrescit; dict. l. 13, § 3, ff. dict. tit. de *Hæred. instit.* Quod si duodecim uncias excesserit in divisione, æque pro rata decrescit; dict. lib. 13, § 4, ff. dict. tit. de *Hæred. instit.*

(43. Fluunt ex hac solemniter distributione, et aliæ plures decisiones in lib. 14 ff. dict. tit. de *Hæred. instit.* relatæ, de quibus a laborandum sit hodie dubitari vel ex hoc potest, quod naturales constituuntur portiones pro lubitu Testatoris, ac propterea si

adscriptæ sint omnibus partes suæ, recurrere minime oporteat ad solemnem partium distributionem, sed dividenda sit hæreditas in tot partes, quot assignavit Testator. De cætero si non omnibus partes sint adscriptæ, recurri et nunc debet ad solemnem distri-

HÆRES.

SUMMARIUM.

1. Hæres unde dictus, et quis sit. — 2. Hæres alius est ab intestato, et alius ex Testamento, et quis sit uterque. — 3. Hæres ex Testamento alius est universalis, et alius particularis, et quis sit uterque. — 4. Hæres ex Testamento rursus alius est necessarius, et alius non necessarius, seu voluntarius, et quis sit uterque. — 5. Hæres insuper alius est suus, et alius non suus, et quis sit uterque. — 6. Hæres potest esse omnis, qui non prohibetur. — 7. Hæredes qui non possunt esse, enumerantur. — 8. Fratres Minores de Observantia, Reformati, et Capucini nequeunt institui hæredes. — 9. Particulares Professi Societatis Jesu, et Coadjutores vota formata habentes nequeunt esse hæredes; sicut nec etiam possunt Collegia, et domus ejusdem Societatis ratione alicujus talis Professi, aut vota formata habentis, quamvis possint sine contemplatione suorum Professorum. — 10. Alii Ordines omnes, eorumque Professores etiam Mendicantes, quibus permissum est bona stabilia in communi possidere, possunt esse hæredes, sive ex Testamento, sive ab intestato. — 11. Monasterium ratione sui Monachi hæreditatem delatam adire potest ipso Religioso ignaro, et invito, vel ante aditionem mortuo, Religiosus vero etiam adire nequit absque Prelati, vel Monasterii mandato. — 12. Religiosus ad Episcopatum translatus, quamvis fuerit Ordinis Mendicantium, et etiam Ordinis Minorum, est capax hæreditariæ successione, ita tamen, ut bonorum sola administratio ipsi acquiratur; dominium vero ecclesiæ cui præest. — 13. Assignatur ordo succedendi ab intestato. — 14. Hæredibus descendentes, nulla interveniente legitima causa exheredationis, debetur semper Legitima, quæ est Triens, si non sint plures, quam quatuor: et Semis, si sint plures, quam quatuor: in quo numero computandi sunt etiam ii, qui hæreditati renunciarunt; non tamen, qui legitime sunt exheredati. — 15. In defectu descendentes Legitima ascendentes est Triens. — 16. Legitima debet relinqui sive descendentes, sive ascendentes hæredibus sine ullo onere, aut gravamine. — 17. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquitur pro Legitima minor portio quam supra assignata, competit ei actio duratura ad 50 annos ad petendum complementum legitime. — 18. Si vero sine justa exheredandi causa non solum minor portio, sed nulla relinquitur pro Legitima, Testamentum est ipso jure nullum, quoad alterius hæredis institutionem, non item quoad Legata, commissa, et alia, et præterito hæredi competit actio 50 annorum ad testamentum nullum dicendum. — 19. Si autem legitima causa exheredationis sit Testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi querela inofficiosi Testamenti per quam evacuetur Testamentum quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium. — 20. Pater, quamvis non teneatur instituere hæredes filios naturales, si tamen filius legitimis careat, potest eos instituere, et eis quomodolibet sua bona relinquere, dummodo Parentes, si supersint, Legitima non priventur. — 21. Si autem Filios legitimis habeat, non potest Pater relinquere filiiis naturalibus plusquam unam hæreditatis unciam. — 22. Matri tamen filii naturales succedunt cum legitimis, tam ex testamento, quam ab intestato, ubi Jus commune observatur. — 23. Filii vero spurii succedere non possunt nec patri, nec matri, neque per Testamentum, neque ab intestato, neque per sub-

stitutionem partium, idque quia alias constare haud potest, quid ei, qui sine partibus est scriptus hæres, assignari debeat. Confer Stryk. in us. modern. pandect. lib. 28, tit. 6, § 10.

Licet possint in defectu hæredum necessariorum institui hæredes ab Avo. — 24. Tenentur tamen parentes alere ipsos spurios. — 25. Hæredes patris habent eandem obligationem alicui spurium, si pater non providerit. Item ascendentes paterni, si pater, aut hæredes deficient. — 26. Hæres semel non potest desinere esse hæres. — 27. Limitatur tamen conclusio ex causa superveniente, cum tunc possit desinere esse hæres. — 28. Hæres hæredis reputatur etiam hæres primi Defuncti. — 29. Dicitio *Hæres* comprehendit tam masculos, quam feminas in materia indifferenti, secus in materia differenti, et ubi constat de contraria mente statuentium. — 30. Hæres Tutoris tenetur de neglectis et ad usuras pupillares. — 31. Hæres uxoris tenetur alere Maritum inopem. Prout tenetur præstare evictionem Viro, cui bona Fideicommissi in Dotem constituta sunt, quando evictio fuit promissa. — 32. Deficiente hærede scripto ante Testatorem, hæreditas devolvitur hæredi ab intestato. — 33. Hæredis voluntas servanda est circa funera Defuncti. — 34. Hæredes Defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum ceræ sibi benevisum, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante, subministrare valent. — 35. Hæredes defunctorum possunt vocare numerum Religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus ad Ecclesias. — 36. Afferitur pro hoc Decretum in Alexandrina, et novissima dispositio Benedicti XIII, ac ulterius Decretum in Albinganensi, non obstante Synodo Provinciali, ac concordia. — 37. Hæres ab intestato tenetur solvere legatum pium relictum in testamento profano nullo. — 38. Hæres detrahit Trebellianicam contra Ecclesiam mediante substitutione, data cautione restituendi eam, si substitutio purificabitur pro Ecclesia. — 39. Hæres ex Testamento per lapsum triginta annorum præscribit contra Legatarios vel Cohæredem. — 40. Hæres personæ excommunicatæ præstet cautionem de satisfaciendo parti antequam excommunicatus Defunctus absolvatur. — 41. Successio in hæreditate bonorum omnium Sacerdotis mortui absque hærede spectat ad Episcopum, non ad Cameram Ducalem, ad effectum disponendi juxta regulas Canonicas. — 42. Hæres institutus sub conditione ne mulierem inhonestam in uxorem ducat, hæreditatem amittit, si idem præceptum non servat. — 43. Hæredem qui vult facere Ecclesiam, consanguineis exheredatis, alium querat quam Augustinum, imo Deo propitio neminem inveniet. — 44. Hæredes, alique executores post hæreditatem aditam, et inventarium collectum, statim tenentur solvere Legata, et alia exsequi, quæ Defunctus præceperat, nisi justo impedimento excusentur, et ad hoc a Judice cogi possunt. — 45. Hæredes, alique executores tenentur adimplere Defuncti voluntatem intra annum, computandum non a die monitionis factæ per Judicem, et si semel moniti negligunt, perdunt totum id, quod eidem alias ex Testamento competit, sive hæreditas, sive Legatum sit. — 46. Limitatur tamen hæc pena privationis totius hæreditatis in hæredibus necessariis, tam descendentes, quam ascendentes, etc. — 47. Relicta ad pias causas integre solvi debent ab hæredibus, aliisque executoribus infra sex menses a die insinuationis Testamenti numerandos, et assignatur pœna in transgressores. — 48. Si hæredes, alique executores his admoniti ab Episcopo, dispositiones Testatoris ad causas pias adimplere neglexerint, etiam ante annum elapsam privantur omnibus commodis ex Te-